



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 42. De Mysteriis quæ in Christo crucifixo latent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

& compassionis clavis similiter cruci affixam); & supplex pete, ita communicat tibi aliquid illorum dolorum, ut & tu simul cum eis crucifigaris, vera ipsorum imitatione.

QVOD superest ad hunc locum, perpendi amplius potest ex ijs, qua puncto octavo meditationis prima, siue fundamenti sunt dicta.

MEDITATIO XLII.
DE MYSTERIIS IX,
Christo crucifixo latentibus.

PUNCTVM I.

S. Thom. 3.
p. 7. 46. a. 6.



AD pedes crucis constitutus, oculisque ad eum, qui in ea pendet, eleuatis; ut cognoscere ac penetrare possim, quidquid in ea agitur, nobisque proponitur; considerandum est, quis ille sit, qui in ea confixus pendet; causaque inquirenda, ob quam, id ita sit factum. fuit enim ex parte ipsius, sola bonitas & misericordia; ex nostra vero, miseriam nostram remedium.

L EVA igitur o anima mea, oculos tuos ad ista cruce in caelum, & ab isto ignominioso throno, qui est in monte Caluariae, ad Thronum

num illum gloriæ, qui est in coelo empyreo: & perpende infinitam maiestatem illius, qui in cruce pendet. Est enim Deus æternus & immensus, a cuius sedes est cælum; terra autem a Isaiæ 66.1. b Psal. 17.11. scabellum pedum eius, qui b ascendit super Cherubim & volat super pennas ventorum: Est summè sapiens, est omnipotens, per quem creata sunt omnia; cœli & terra, Angeli, & homines. Qui vt ait Isai. c *appendit tribus digitis molem terra;* quia bonitate, sapientia, & omnia potenti sua eam conferuat. c Isaiæ 49. 12.

II.

POSTQUAM hæc expenderis, demitte oculos tuos ad extremam abiectiōem & miseriam, qua diuina hæc persona est in cruce vestita; & perpende afflictissimū eius corpus, ternario altero trium clauorum, qui ligno illi affixum tenent, sustentari; vt ab vna ad alteram partem se mouere non possit; & ita corporis eius molem sustinent, vt ingenti illud dolore afficiant; & vsque ad terminum vitæ afficiant. Et conferens, quæ hæc diuina persona, in vtroque isto throno habet, admiraberis & obstupesces, quod tanta maiestas ad tantam vilitatem deuenerit; & d *velans sicut Seraphim faciem & pedes,* supremum videlicet & infimum tui Redemptoris, eò quòd neutrum assequi possis, *clamabis* magno affectu, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, es Domine Deus exercituum.* Ter sanctus es, propter tres digitos, quibus terræ molem sustentas; ter quoque sanctus es, propter clauos tres qui tuum corpus in cruce sustentant; & multò adhuc

d Isaiæ 6.2.

magis propter alios tres, quibus te ipsum illi
 confixisti; vno, amoris hominum; altero, obe-
 dientiæ erga Patrem æternum; tertio, zeli glo-
 riæ ipsius, & boni nostri, qui fortius te con-
 guat, quàm illi ferrei. Gratias tibi, suprema
 Redemptor, propter istum amorem, obedien-
 tiam, & zelum; quibus tuæ cruci es confixus.
 oro supplicem, Domine, ut eisdem clavis, tuæ me
 cruci ita configas; ut te semper plus diligam,
 quàm me, tuæque voluntati paream, nihil cu-
 rando meam; zelemque tuum honorè, & æter-
 nam meam salutem, non sollicitus de ijs, que
 citò pertranseunt. Quod si hi clavi, non me
 satis fixum tenebunt, *e confige timore tuo car-
 nes meas; ut tua occulta iudicia, & severam
 iustitiam, meamque damnationem æternam
 ita timeam, ut ab ea me velis liberare. Amen.*

e *psal. 118.*
 320.

PUNCTVM II.

a *Heb. 6. 20.*

DEINDE considerandum, eundem
 esse magnum illum a sacerdotem se-
 cundum ordinem Melchisedech, supremum
 Ecclesiæ pontificem, electum, & vocatum
 maiori multò excellentia, quam fuerit Aaron,
 b *Principem Pastorum & c Episcopum* vigilan-
 tissimum *animarum nostrarum*; qui crucem
 conscendit, ut cruentum sacrificium offerret,
 omnium excellentissimum, quæ vnquam fuit
 tunc in terra oblata.

b *1. Pet. 5. 4.*
 c *1. Cor. 2. 25.*

INSIGNIA summi huius sacerdotis sunt
 dolo-

dolores & ignominie, sed myſterij tamen plena. **INFVLA** enim eius est spinea corona, eius capiti infixæ. **BACVLVS** pastoralis, est ipsa crux. **ANNVLI**, sunt clavi manibus infixi, & **VESTIS** sacerdotalis, varij coloris, caro ipsius est, multis vulneribus & lioribus ex verberibus exornata. Hac ratione *introiuit* benignus noster **IESVS**, *d Heb 9.12.*
*semel tantum in sancta sanctorum, non offerendo sanguinem hircorum aut vitulorum, sed proprium sanguinem, non pro se ipſo, sed pro nobis; nec sacrificium commune, quod esset diuidendum; sed holocaustum, quod totum consumeretur igne doloris & amoris, effuso toto suo sanguine, in remissionem peccatorum, donec omninò mortuus, consumeretur in cruce. O summe sacerdos, quàm tibi stat caro, Dei iram in nos placare; siquidem non es contentus offerre animalium carnem sanguinè, sed tuam propriam diuinitati coniunctam; quamuis sanguis à carne, horrenda crudelitate fuerit superatus! necessaria fuit talis oblatio, atque est tua, vt ex iustitia satisfaceret pro tali offensione, atque est nostra: necesse erat, vt Deus esset Sacerdos, & sacrificium; ad hoc vt esset Deus, ea satisfactione contentus & placatus. Quid tibi reddam, ô supreme Pontifex, & Pastor animarum, pro qua tale sacrificiũ, Deo in cruce offerretur? opto cruento huic sacrificio adesse, & offerre in sacrificium, cor meum, e *contritum* & *humiliatũ*, *contritum, ob admissa mea peccata;* *psal. 50.19**

humiliatum, quod videam tot dolores & ignominias te pati propter me. Alterum quoque sacrificium offeram laudis, propter tanta, quæ meæ salutis causa præstas; firmum addens propositum, faciendi quicquid mihi erit possibile tui obsequij causa. Accepta Domine, hæc sacrificia: indue me insignibus sacerdotij tui, & fac me tibi similem, in tantis, quæ mei causa sustines.

PUNCTVM III.

ASPICERE etiã deo IESVM Christum crucifixum, tanquam doctorem & magistrum, ab æterno Patre, in mundum missum, ut viam nos virtuti & veritatis, & semitas sanctitatis & perfectionis doceret: qui cum hæc omnia, opere & verbo, triginta tres annos vitæ suæ docuisset, conscendit ad finem cathedram crucis; in qua omnium, quæ ante docuisset, Epilogum quendam excellentissimum perfectissimumque conficeret. Nam, ut initio suæ prædicationis, *a* ascendit in montem, & sedens cum suis discipulis, aperiens os suum, prædicavit illis octo beatitudines, quæ sunt octo heroici actus virtutum, quibus innititur Evangelica perfectio; ita nunc ascendit in montem Calvarium, & pendens in cruce, opere ipso exercens easdem virtutes, maiori excellentia, quam antea exercuisset, ut sexto puncto primæ meditationis est dictum. Et postquam eius paupertatem, humilitatem, & cæteras virtutes per-

a Matt. 5. 1.

pendero; fingam, Deum Dominum nostrum
 verba illa mihi dicere, quæ aliquando Moyfi:
inspice & fac secundum exemplar, quod tibi b Exod. 25.
in monte monstratum est: inspice videlicet ex- 40.
 emplar virtutum, quod filius meus tibi præ-
 buit in monte Caluario; & fac illud, perci-
 piens ac discens benè perlectam tibi ab eo le-
 ctionem.

CONSTITVE itaque te, Anima mea, ad
 pedem crucis, audiq; attentè, quàm tibi præle-
 get Christus crucifixus lectionem: & quando-
 quidem tam carè illi stat, eam tibi prælegere;
 par est te non negligenter eam audire & repe-
 tere; sed cordi tuo altè imprimere, & opere i-
 plo statim illam exequi, aded serio, tantoque
 seruaore, vt dicere possis cum Apostolo, *non* c I. Cor. 2.2.
iudico me scire aliquid inter homines, nisi IES-
VM Christum, & hunc crucifixum. O supre-
 me Magister, qui dixisti, *d si exaltatus fuero à* d Ioan. 12.
terra, omnia traham ad meipsum; trahere meam 32.
 memoriam, vt semper cogitet, quod hic n e
 doces; & intellectum meum, vt benè idem in-
 telligat; & voluntatem, vt diligat; & totum
 spiritum meum, vt valeam imitari. O Virgo
 sacratissima, & dilecte Domini discipule, qui
 ad eiusdem crucis pedem, præstantissimã hanc
 lectionem audiuistis; ex qua profecistis pluri-
 mum, orate eundem supremum magistrum,
 vt eam quoque cordi meo imprimat,
 sicut impressit ve-
 stro.

PUNCTVM IV.

CONSIDERANDVM præterea, eundem, qui in cruce pendet, esse Deum exercituum. & a Deum vltionum, ducem & b bellatorem fortissimum; qui in campo illo montis Caluarij. pugnam offert potestariis inferni, & Principibus huius mundi; contra quos omnes fortiter dimicans illos vincit, regnumque peccati destruit. Atque, quibus pugnat, sunt ipsa crux, clavis, spinæ, & reliqua dolorum & ignominiarum ipsius instrumenta; quibus dum sacratissimum suum corpus confringit & cōminuit, & etiam c conterit caput serpentis, qui primos nostrorum parentes decepit; per quos introduxit in mundum Origenis peccatum, cuius remissionem sancta sua cruce ipse nobis impetravit. Confrigit quoque d septem capita draconis magni & rufi, septem videlicet capitalia vitia, quæ ab illo Origenis peccato prouenerunt. SUPERBIAM enim contemptibus & ignominijs, quas sustinuit, profundissima humilitate sua contriuit; GLORIAM vicit felle & aceto, quod illi ad sicem restinguendam obtulerunt; subegit CARNIUM VOLVPTATES, horrendis doloribus, quæ in omnibus corporis sui membris fuit perpe- sus; AVARITIAM, superauit paupertate, & nuditate sua extrema; IRAM, heroica sua mansuetudine & patientia; INVIDIAM ex-

a Psal. 93. 1.

b Ierem. 20.

11.

c Gen 3. 15.

d Apoc. 12.

39.

cellen

cellentibus actibus charitatis, quos intuitu nostri commode exercuit; PIGRITIAM denique & IGNAVIAM, insigni fervore, quem uniuersim in omnibus redemptionis nostrae operibus ostendit.

HAC ratione bonus noster IESVS serpentis formam in cruce suscipiens, & sicut e *Exod. 7. 12*
sis serpens cum Magorum serpentibus pugnaus, illos omnes deuorauit; ita ipse deuorauit, hoc est dissoluit peccata omnia, quae mundum inficiunt. Et ut *G. deon hydriam con-*
fringens, quam tenebat manibus splendore lampadis, qua intus latebat, perterrefecit ac *Indic. 7. 20*
uicit Madianitas: ita Dux noster corpus suum passionis suae laboribus frangens, splendore virtutum, quae ab eo processerunt, uicia omnia *g Isai. 9. 4.*
construit.

NAM magnus iste DEVS ultionum, dum in corpore suo iniurias aeterni sui Patris ulciscitur, etiam de suis hostibus ultionem accepit; eosque sub pedibus suis posuit: ea ratione me docens, quomodo in principio oporteat ulcisci iniurias, quas feci in Deum & vindictam sumere de Diabolo, mundo, & carne, & ipsis uitijs, quae peccatum meum impugnant. O BELLATOR fortissime, qui dum proprium sanguinem fundis, demonem uicis, & peccati regnum, uiciaque mundum conturbancia dissoluis, doce me ita pugnare, sicut tu pugnasti, ut etiam uincam, sicut tu uicisti. Concede mihi cor

virile, vt sicut milites Gedeonis, hydriam corporis mei, poenitentia confringam, & lux virtutū, ita in me splendeat, vt hostes mei omnes fugiant, & victoriam de omnibus referant. O DEVS vltionum, doce me vltionem de me ipso sumere, eò quod te offenderim: nam vindictam de me ipso sumpsero, triumphum etiam de meis hostibus agam, per sanguinem filij tui, cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

MEDITATIO XLIII.

DE TITULO CRUCI
Christi affixo, & Mysterijs
Passionis, quæ in eo
latent.

PUNCTVM I.

a Ioan. 19.
19.
Matt. 27. 37.
Marc. 15. 26.
Luce. 23. 38.



CRIPSIT autem a titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, IESVS Nazarenus Rex Iudaorum, & erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè.

CIRCA hunc titulum consideranda sunt quatuor, quæ in illo continentur, verba, in quibus enim, vt S. Marcus ait, continebatur causa crucis scilicet Christi, cur scilicet cruci fuisset affi-